

2. Cuicumq; dicitur à Christo: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, is jure optimo columna & fundamentum Ecclesiae dici potest.

At qui Christus ait Matth. 16. v. 18. Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.

E. Petrus est Ecclesiae fundamentum & per consequens, successores Petri, pontifices scilicet Romani sunt columna vera Ecclesiae, quae est Romana.

Resp. Quid in *Parænesi* ad studia linguarum Anno 1652. typis publicis exscripta pag. 149. adhunc locum monuerim, hinc modò non regero. Sed dico esse fallaciam *Compositionis*, malè enim Petrus & Petra conjunguntur, vel potius persona seu substantia malè confunditur cum *Accidente*. Nam Petra hinc significat confessionem seu doctrinam Petri ἀμετάπλωτον καὶ ἀμετακίνητον, adamantinam & immobilem de Christo, cui Ecclesiam suam superstruere se se velle pollicetur, nempe super verbum suum, quod audivit à Patre Job. 17. verba etenim